

Σὺν ταλάμησι Θεῷ.  
**DISPUTATIO ETHICA**  
*De*  
**JUSTITIA,**

*Quam*  
 Benevolo Incliti Senatiū Philosophici Indultu & per-  
 missu, placidæ Eruditorum disquisi-  
 tioni

*In celeberrimâ Academiâ LIPSIENSI*  
*proponunt*

P R A E S E S

**M. ALBERTUS HEINÆUS**  
 AURICO FRISIUS- ORIENTALIS,  
 S.S. Th. St.

&

*RESPONDENS*

**CHRISTIANUS SALICHIUS**

Brumbiensis Saxo, Philol.

Baccalaureus.

*Ad diem 7. Julij, Anno 1655.*

*H. L. Q. S.*

*Literis BAUERIANIS.*

*14.*


*a. XIX. 30.*

oll. diss. A  
9, 30

Illustrissimo atq; Celsissimo Principi ac Domino  
**DN. ENNONI LUDOVICO,**  
Principi ac Dominō in Frisiā Orientali, Principi in Ese-  
nā, Stedesdorff/ & Wittmund/ u. Domino ac Principi meo  
Clementissimo Salutem & Incolumi-  
tatem Dicit:

**Q**uantum, ILLUSTRISSIME atq; CELSISSIME  
PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, unusquisq;  
debeat Patria, quantumq; in modum eidem obstrictus sit, loquuntur  
passim historiarum monumenta, testantur innumera exempla. Vnde  
Imperator Justinianus inquit, & Patri & Patriæ nascimur. Nec nobis, uti  
habet summum illud Eloquentiæ Romanae Numen, solum nati sumus, sed ortus  
nostræ partem PATRIA sibi vendicat, partem Amici: Et unicuique nostrum chari  
sunt Parentes, chari familiares, sed omnes omnium charitates una Patria  
complexæst. Cum itaq; mea q; studia à teneris ferè unguitulis Patria  
consecrari dulcissimæ, demonstrandum jamjam erit, ecquid hactenus in lite-  
ris profecerim, vel quid in posterum SIBI de me pollicericerto possit. Hoc  
verò perfici neutquam potuit, nisi VESTRÆ, CELSISSIME PRINCEPS,  
CLEMENTIÆ hoc levidense munus chartaceum summâ submissione bu-  
milimè dem, dicem & dedicem. TE enim non tam PRINCIPE magnoscit  
quam PATREM ejusdem deprædicat merito. Fateor equidem ingenuè, ne  
bilum his ipsis contineri pagellis, quod V. ILL. CELS. condignum queat, eas  
ramen non planè improbatum, sed sereno vultu acceptum iri, spem parat cer-  
tissimam insignis & singularis planè erga studia literarum favor, cui etiam me  
totum commendo, & ut in illo me jucundè & suaviter conquiescere patiatur,  
bumilimè, ut decet, oro atq; obtestor. Quod reliquum est D. T. Opt. M. oro,  
ut ILLUST. CELS. V. velit diu salvam atq; florentem esse, quò sub ILLIUS  
tutelâ Patria tuta ac incolmis permaneat diutissimè. FIAT! FIAT!  
dabam Lipsie è muso meo d. 6. Julij  
Anno cl. Ic. LV.

Illust. ac Sereniss. Cels.  
Vest.  
Subiectissimus Cliens



M. Albertus Heinæus PRAESES.

בָּאַלְהִים

PRÆLOQUIUM.

Inter omnes virtutes, quibus continetur & perficitur vita civilis, principem locum obtainere Justitiam nemo non videt; Nulla namque respublica salva esse potest sine *Justitiâ*, adeò ut nec latronum aut furum cohors aggredi quidquam possit aut efficere, si ipsi inter se ab injuriis non abstineant, ut *Plato* Philosophorum Parens docet *l.i. de republ. in fin.* Quare etiam Ferdinandi Imperatoris Germanorum Symbolica vox fuit: *Fiat Justitia aut pereat mundus.* Egregia sanè vox, quia nulla hominum societas subsistere, nulla resp. incolumis permanere, nullaq; jura vigere sine illâ possunt. Propterea etiam vocatur virtus cœlestis, & teste Philosopho, Hespero atq; Lucifero admirabilior, Thesaurus omnium virtutum, Assertore *Pythagorâ*, & *Cicerone* judice, splendidissima & Excellentissima omnium virtutum regina ac Domina est. Hinc etiam *Homerus* Reges Jovis discipulos esse statuit, quia à Jove Justitiam in primis addiscere, & deinde inter mortales exercere, & omni studio omniq; diligentia observare necessum habeant. Deinde ne cum aliis Jovis posteris terrenâ conservatione vilesceret, eam inter sydera locarunt. Testis nobis est *Nigidius* cognomento *Figulus* Philosophus peregregius, & in astronomiæ scientiâ peritissimus, qui scribit: Inter Leonem & Libram Virginem esse, quæ *Justitia* sive æquitas appellatur. Addit præterea: Hanc à mortali bus quondam recessisse, & ad superos remeasse, ut, quæ solita esset in cœtu hominum versari, eisq; præcipere, ne à

A 2

recto

recto atq; honesto decederent: cuius monitis quo usque paruerunt, securi sine anxietate & solicitudine vicitarunt: sed postquam mandata ejus contempserunt, luxuria, avaritia, cupiditasq; invaluit, & invidiâ ac mutuis odiis exarserunt, tunc dolos atq; insidias inter se nectere cœperunt, & alter alteri imponere, & vulnera cædesq; inferre. Tunc Dea, cum nullum sibi in terris locum relictum cerneret, in cœlum se extulit, sempiternumq; pietatis suæ præmium accepit. Hæc ille.

Etenim quod cor est in humano corpore: In grege pastor: In exercitu Imperator: Illud in amœnissimo virtutum hortulo Justitia esse videtur: Ut enim mortuo cor de vita tollitur. Pastore sublatogrex dispergitur: Imperatore remoto Exercitus conturbatur, ita si tollitur Justitia, tollitur quoque cum ea rerum publicarum anima, civitatum norma &c. Constat ergò ex hisce ortum hujus virtutis esse cœlestem, statum cœlestem, unde etiam ejus effectus esse cœlestes nullatenus dubitamus: Quare sine ambagibus sub Justitiae Autore & Fautore de eadem theses nonnullas proponere constituimus. Sit itaque

## MEMBRUM PRIMUM.

De

### Etymologiâ, Homonymiâ & Synonymiâ vocabuli.

§. I. Antequam naturam & distributionem Justitiae introspiciamus, prius hujus vocabuli Etymologiam præcognoscamus Illudque ab æquivocatione liberemus, oportet.

§. II. Etymologiam sive Originationem vocis quod attinet, variis variè in eâ indagandâ desudant: Alij enim Justitiam d'educivolunt (i.) à Jove, juris & justitiæ Author & quasi Patre, quo nomine *Hesiodus* Justitiam tanquam virginem & Jovis filiam in Originibus Deorum ponit, quæ Patri

Patri assideat, & si violetur, pœnas injuriæ vindices efflagit: *Becman. in Origin. p. 578.* Nonnulli (2.) à sistendo vel constituendo jure, quod eo modo jus sistatur, vel stet aut consistat, ut sit quasi Jurisitia sive juris status. *Hotom. ad pref. Instit.* Alij (3.) Justitiam per metadictum quasi visitiam dictam putant, quod vim sistat. *Alc. l. i. pag. 29.* Alii (4.) à subjecto nimis à Justo, quia Justitia non nisi in viris justis reperitur, sicut à malo malitia dicitur. Alii denique (5.) ab Objecto, scilicet à jure derivant, quæ Etymologia videtur esse convenientissima, idque probamus à derivationis naturâ: Derivatio enim nihil est aliud, quam derivati à primitivo deductio; jus ergo est primitivum, & justitia derivativum.

§. 3. Hisce prælibatis vocabulum hocce etiam ab æquivocatione est liberandum, non enim semper eodem modo usurpat. Sumitur (1.) *Impropriè pro ejusmodi Justitiâ*, quæ etiam competit brutis. Ita Ciconiarum genus habetur pro justissimo, ut Hippotamorum pro inquisissimo. Ideoque in Regum sceptris ciconiam superiore loco, inferiore verò equum fluviatilem olim fabricabant. *Camerar. Dec. 3. etym. 6.* (2.) Sumitur saepissimè pro *Justitiâ universali*, i.e. pro obedientiâ juxta omnes leges, ut, cum dicimus, *Aristidem esse justum* i.e. obedientem omnibus legibus. Sumitur (3.) pro *Justitiâ Theologicâ* tunc legali, tunc Evangelicâ, quæ nostra sit fide meritum Christi apprehendente, quæ à proposito nostro nimis aliena, ut potè cum Philosophi eam ignorent. Sumitur (4.) *abusivè*, e.g. pro æquali prædæ distributione, quam Prædones observant, non diu enim illorum societas duratura, nisi justitiam quodammodo observarent: Sed nec hæc ad rem facit. Deniq; (5.) sumitur pro *ea Justitiâ*, quæ virtutis in genere acceptæ peculiaris & à reliquis distincta species est, quæ acceptio hujus est loci. Hæc diversitas in-

us vocabuli *justitiae* prudenter consideranda est, ne ambi-  
guitate decipiamur, aut alios decipiamus, quod contigit  
Malvendæ, qui dixit, homines dilectione esse justos, & qui-  
dem ex eâ ratione, quia dilectio reddit debitum Deo, cum  
tamen quæstio esset non de legali, sed Evangelicâ Justitiâ:  
ut interim taceamus, legi divinæ à nobis in hâc corruptio-  
ne satisfieri nequaquam posse, unde & legali Justitiâ, quan-  
ta in nobis vel maxima est, non salvamur.

§. 4. Restat jam Synonymia. Sciendum verò est,  
quod nulla hîc dentur Synonyma, nisi quæ forsà hîc sug-  
geret paraphrasis. Græcis dicitur δίκαιοσυνή, quæ vox  
derivatur à δίκαιος justus sive æquus. Hanc verò  
*Aristot.* l. 5. c. 7. deducit Δπὸ τὸ δίκαια, unde δίκαιον quasi  
δίκαιον, quod inter duas partes æquales rem scindat,  
neutri parti plus minusve ratâ portione tribuens;  
Sic & δίκαιον dici vult quasi δίκαιων. At *Plato* putat δίκαιον  
dici quasi δίκαιον, i. e. διὰ ἀού, i. e. per omnes res percurrentes,  
adscitâ sibi literâ & propter οὐρανού, quia justitia in omni-  
bus rebus deprehēditur, ejusq; usus in omnibus actionibus  
requiritur. Dicitur etiam quandoque æquitas: Item Re-  
gina virtutum &c. Pertinet huc pulcherrimum illud Justi-  
tiæ simulacrum: Justitia est virgo, civitatum Domina, dex-  
tra tenens gladium, quo malorum scelera vindicare, sini-  
stra suspendens lanceam, quâ bonorum opera ex  
æquo pensitare possit. Ebræi habent צְדָקָה Justitia à ra-  
dice צְדָקָה i.e. Justificari sive Justum esse, Germanicè reddi-  
tur: *Gerechtigkeit*. Et hactenus fuit definitum. Sequitur  
jam

## MEMBRUM SECUNDUN

D e

*Justitiâ Universali.*

§. 1. Ethī

§. 1. Etsi de particulari Justitiâ tractare nobis decreum est, tamen cum ipsi Universalis Justitia eâ cognatione juncta sit, quâ totum quodlibet suis partibus: Unde & Aristoteles, & post eum Ethici Scriptores hodierni ad unum (quod sciam) omnes utriusque justitiæ tractationem conjungunt: non erit nobis fraudi, si & nos eorum vestigiis insistentes, paucula de Justitiâ Vniversalis disputationi nostræ inseramus.

§. 2. Aristoteles *l. 5. Ethic. c. 1.* eam ita definit: η δικαιοσύνη εστὶ ἔξις ἀρεφακτικοὶ τῶν δικαιώνεισι, οὐδὲ αὐτὸς δικαιοπεγγύσι οὐδὲ βέλοντα τὰ δίκαια. i.e. *Justia est habitus quo homines Idonei sunt, ad agendum ea, quæ justa sunt, eademque agunt & volunt.*

§. 3. Hanc definitionem sunt, qui putent particularis esse Justitiæ. Sed quoniam eam proposuit Philosophus initio *libri V. Ethic.* antequam de Justitiâ vel universalis vel particulari differeret sigillatim: dubium nobis non est, quin eam utrique potius communem, quam particuliari propriam esse voluerit. Id quod præterea et ipsa verba clamant, ut paulò post magis patebit. Possunt enim omnia quæ ibi dicuntur, Universalis Justitiæ applicari.

§. 4. Sunt, qui dicant, hâc definitione solum vocabulum declarari, non ipsam rei exprimi essentiam. Sicut enim, si quis fortitudinem definiat, secundum quam fortiter homines agunt: aut liberalitatē, secundū quam liberanter, & ita in cœteris, non rei sed nominis definitio illa futura est: Ita & in hâc Justitiæ definitione rem se habere. Quæ, tametsi satis speciosè proferuntur; liceat tamen nobis, quoniam eadem & paulò copiosior est, & plūs adhuc, quam nuda nominis definitio, habet in recessu, eam (uti & ante nos ab aliis factum esse constat) per modum justæ ac realis definitionis in genus suum ac differentiam specificam resolvere.

5. 5. Ge-

§. 5. Generis ergò loco ponitur vocabulum *habitūs*. Quod quidem genus esset particularis Justitiæ. Unde vides, vel hoc nomine definitionem hanc melius ad Universalem, quam particularem Justitiam quadrare.

§. 6. Differentia constat (1.) *Subiecto*, quod sunt *homines*. Sicut enim virtus est bonum homini proprium, ita etiam Justitia non nisi solis hominibus convenire potest. (2.) *Objecto*. Hoc exprimitur in definitione verbis: *Ea quæ justa sunt*: Justitia enim circa justa versatur. *Justa autem sunt, quæ legibus sunt congrua, & rectæ rationi consentanea*. (3.) *requisitis*, quæ cum Ethicorum filiis trahacimus: (a.) *duabus* s. *facultatis*, quod homines per hunc habitum Idonei sint ad agendum ea, quæ sunt justa. Etenim habitus istiusmodi est qualitas, per quam Subiectum est aptum & idoneum ad agendum, habetque virtutem secundum illum habitum operandi. Ubi verò nulla talis est facultas, ibi etiam nullus habitus. (β.) *πράξεως* s. *actionis*, ut etiam hic habitus sese in actum proferat: Est enim Justitia habitus practicus, qui in praxi consistit, ex praxi oritur, & praxin respicit. Non enim sufficit, habere facultatem agendi ea, quæ justa sunt, sed etiam est hoc necessarium, ut habitus ille facultatem suam in actum producat & justa operetur. Nemo enim laudari potest, qui habet facultatem agendi justa, nisi etiam justa agat, cum virtutes non sint ociosæ qualitates, quæ in homine latent, sed, quæ in ipsum actum prorumpunt. (γ.) *βολήσεως* s. *voluntatis*. Etenim non quælibet actio est virtuosa, si quidem multæ actiones sunt intelligendæ quæ sunt ex *πραγμάτειαι*, ut etiam velint, eligant & expetant ea, quæ sunt justa, adeoque omnia adhuc virtutiſ requisita. Qui enim temerè & casu aut invitus & ignorans agit justa, non ex Justitiæ habitu operatur. Siquidem, ut Ethici tradunt, ista sunt distincta, *justa agere* & *justè agere*, illud quamvis justam,

515.

stam actionem, hoc eandem sed ex habitu & ~~ex auctoritate~~  
profectam infert.

§. 7. Hæc de definitione illâ Aristotelicâ sufficiant. Quæ, si cui minùs satisfacit, is ejus loco definitionem recentiorum cognoscat licebit.

§. 8. Sic autem definiunt Universalem Justitiam: *Quod sit virtus optima & Vniverſa, omnesq; virtutes inclu-  
dens ad publicam utilitatem promovendam & politicam soci-  
etatem conservandam.*

§. 9. Differt hæc 1. à generali virtute, non quidem nudo nomine, ut vult *Tipl. 3. Ethic. c. 10. q. 2. & 4. Sagittarius. Exerc. 14. th. 6.* Sed τῷ λόγῳ sive ratione aut ipsâ definitione, 2. à particulari justitiâ (α.) ut totum à parte. Nam Universalis particularem sub se complectitur. (β.) Objectis: Universalis versatur circa omnium virtutum ob-  
jecta, particularis circa proprium, ut posteà declarabitur. (γ.) Actionibus: Actiones enim Particularis Justitiae sunt commutare & distribuere, sed Universalis, omnium virtu-  
tum actiones observare. (δ.) Fine. Quia particularis Ju-  
stitiae finis proprius est servare æqualitatem & vitare inæ-  
qualitatem in bonorum aut malorum vel distributione  
vel commutatione: Universalis verò cum reliquis com-  
munem habet,

## MEMBRUM TERTIUM

*De*

### *Justitiâ particulari in genere.*

§. 1. A Jctis definiri solet, quod sit constans & perpetua voluntas jus suum cuiq; trbuendi. Quæ defini-  
nitio habetur *l. X. ff. de just. & jure, & Inst. cod. in princip.* Et hæc à Philosophis quoque, sive quòd non alia esset in  
promptu, sive ob nescio quam aliam causam transsumi &  
explicari coepit, quanquam ne reprehensoribus qui-

B

dem

dem caruit. Evidem Christ. Liebenthal / Colleg. Ethic.  
Exerc. 13. q. 3. p. 141. Christ. Matthiae, System. Eth. Exerc. 9.  
q. 1. p. 273. & seqq. Hornej. Philos. Moral. c. 11. §. 14. p. 447.  
nec non Adamus Romanus Exerc. Eth. 9. §. 8. & Georg. Gutt. R.  
Disp. Ethic. 11. §. 16. eam non planè rejiciunt, ac probant  
potius. Censuit tamen Thomas melius eam habituram,  
si sic fuisset concepta: *Justitia est habitus, secundum quem*  
*aliquis constanter & perpetuâ voluntate jus suum cuiq. tribuit.*  
Sed uti fortasse non patientur Jure Consulti textus sibi suos  
à Philosophis hominibus interpretari: Ita & nobis igno-  
scunt, si in argumento Philosophico definitiones ab ipsis  
non mutuemur.

§. 2. Nos verò aliis definitionibus omissis hanc re-  
tinemus: *Justitia particularis est virtus moralis, quæ servat*  
*mediocritatem circa rerum externarum distributionem & per-*  
*mutationem.*

§. 3. Circa hanc definitionem demonstranda est  
veritas tūm Generis tūm Differentiæ. *Generis veritas for-*  
*malis* probatur è generis (α.) definitione. Virtus enim  
moralis apta nata est de pluribus specie differentibus præ-  
dicari in quid est, uti è virtutum genealogiâ patescit. (β.)  
*Proprietatibus*, quales sunt: prioritas, latitudo, continen-  
tia virtualis. Est enim virtus prior Justitiâ, non prioritate  
temporis, quæ comitatur actiones Justitiæ habitum gene-  
rantes & introducentes: Non prioritate causalitatis, quæ  
in animæ potentias, utpote virtutum causas, cadit, sed illa,  
à quâ non reciprocatur effendi consequentia: Et hunc  
modum prioritatis vocant Philosophi modum *prioritatis*  
*naturâ*, cum Genus habeat se ut pars speciei, illaque essen-  
tiā communicet.

§. 4. *Generis veritas materialis*. quod scilicet vir-  
tus Moralis sit Justitiæ particularis proximum genus. Quā-  
doquidem enim hæc Justitia est species specialissima, & ex  
conce-

conceptu Entis latissimo ad inferiora non *Substantia*, per se enim non subsistit, sed *Accidens*, quia Enti in actu specifico existenti supervenit, idque non *respectivum*, non enim habet correlatum, sed absolutum, *Quantitas* igitur erit vel *Qualitas*. Priori rejecto, quia à *Justitiâ* homo non dicitur *quantus*, sed *qualis*, posterius remanet. Porrò in *Qualitatis* categoriâ proximum ejus genus non erit *habitus*, etsi enim sit animi, & industriâ partus seu *acquisitus*, & perfectus (præsupposito, quod neque sit naturalis vis, neque affectus, videantur *Jacob. Mart. b. m. Synops. l. 2. c. 1. p. 59. seqq.* & *D. Wendel. Pract. Phil. Sect. 2. c. 1. p. 125. seqq.*) Sed *Virtus*, quæ proximè & immediatè dicitur de *Justitiâ*, & non simpliciter talis, sed moralis, ita ut distingvatur hæc *Justitia* particularis à virtutibus intellectualibus.

§. 5. Differentiam quod concernit, in hæc definitione duplex datur (1.) *Generica*, quæ competit omnibus virtutibus, & exprimitur per terminum *mediocritatis*.

§. 6. (2.) *Specifica*, quæ desumitur (a.) ab *Objecto*, quod repræsentatur per res externas, quæ docente *D. Wendel. cit. loc. p. 360.* sunt vel *externa bona*, ut pecuniæ, honores, & id genus alia; vel *externa mala*, ut onera & pœnæ. (β.) ab *Officio*, quod innuitur in definitione per hæc verba: *Distributionem & permutationem*.

§. 7. Oppositum hujus *Justitiæ* particularis est *Injustitia* particularis. Observandum est enim, cùm in cœteris virtutibus duo dentur extrema, quæ non simul in eadem actione & subjecto concurrunt, sed ita sibi sunt opposita, ut alterum ab altero pellatur: *Justitiam* habere aliquid peculiare, & unicum tantum *extremum*, quod est *Injustitia*. Sed tamen nihilominus in hoc unico *extremo* excessus pariter & defectus est. *Injustus* enim qui est, plūs uni, alteri verò minus æquo tribuit: Et ita in excessu & defectu pariter peccatur.

§. 8. *Estq; Fitium in rerum externarum distributione vel commutatione à mediocritate recedens. A Philosopho vocatur ανισότης inæqualitas, quia ab æqualitate discedit.*

## MEMBRUM QUARTUM

D e

### *Justitiâ particulari in specie.*

§. 1. *Justitia Particularis dividitur in distributivam & Commutativam. Nos, secundum Philosophum, initium facimus à Justitiâ Distributiva, & statim ipsam proponimus definitionem.*

§. 2. *Distributiva Justitia, est Virtus qua servat mediocritatem circa præriorum & pænarum distributionem, quantum cuiq; de illis debetur. Definitum est Justitia distributiva ab Arist. d. ανεμητική, τὸ ἀνταῖς διανομῶς δικαίος εἰδός l.5. Ethic. c. 2. Dicta enim Distributiva à verbo distribuere, quod non tantum in genere est aliquid dividere, & alicui tribuere, sed vi Etymi, significat rem communem publicâ Authoritate partibus communitatis distribuere.*

§. 3. *Definitio hæc constat (1.) Genere, quod est Virtus. Licet enim virtus non sit genus proximum, sed remotius, cum inter virtutem & Justitiam distributivam intersit Justitia particularis, ita quidem, ut Justitia distributiva non immediatè cum virtute, sed cum Justitiâ particulari conjungatur. Tamen, ne bis eadem vox odiosè repetatur, virtutis vocabulum substituere placuit, præsertim cum idem ab omnibus ferè sic fieri cerneremus.*

§. 4. *(2.) Differentiâ, quæ sumitur i. à formâ, quod servet mediocritatem non quidem secundum proportionem Arithmeticam, ut voluit Xenophon, neq; juxta Harmonicam, quod probare conatus est Bodinus. Vid. Cl. Horn. p. 470. seqq. Sed Geometricam; quæ est, quando numeri ita progrediuntur, ut quoties primus eorum continetur in secun-*

secundo, toties tertius in quarto, & sic deinceps. Talis est in his numeris 2. 4. 6. 12. Sicut enim se habent 2. ad 4. ita se habent 6. ad 12. nam uti binarius numerus bis continetur in quaternario, ita senarius bis itidem reperitur in duodenario. Et quod hæc proportio sit in *Justitiâ distributivâ* adhibenda, probamus ( $\alpha.$ ) à *distribuendi actu*. Distributio enim suum cuique tribuit, Jam aliud convenit nobili aliud verò ignobili &c. ( $\beta.$ ) à *personis*. Quia non omnes personæ sunt æquales, sed maxima earum in *Civitate* est diversitas, quare in *Justâ distributione* spectare oportet dignitatem personarum, inter quas aliquid est distribuendum. Ubi autem talis personarum observatio, ibi etiam geometrica proportio observatur. ( $\gamma.$ ) à *necessitate*. Necesse enim est, si velimus nostram conservare rempublicam, ut tantum honoris & præmii tribuamus civibus nostris, quantum in illis est virtutis.

§. 5. Deinde differentia *Justitiæ distributivæ* capitur ab *Objecto*, quod sunt *præmia* & *pænae*. *Præmia* sunt duplia: honores & opes.

§. 6. Opum Distributio ut sit legitima, hæc poscit requisita. ( $\alpha.$ ) ut antecesserit virtutis actio & meritum: Quamvis verò usus ferat, vitia non minus, interdum & magis, præmiis ornari, quam virtutes; Istamen cum excessus ingens sit, minimè probandus, à *Justitiâ* utiq; multum aberrat atque deficit. ( $\beta.$ ) Quò excellentior est virtus, tanto præclarius præmium. E.g. cum fuerint distribuendi mille coronati in Davidem 10000, & Saulem 1000. hostiū Philistæorum cœdентem, duplex instituenda fuerit comparatio: quarum prior comparet virtutem cum virtute, & utriusq; ad alterum αὐλογιαν conferat; eaque se habebit tali modo, sicut se habet unum ad decem, sic virtus Saulis ad virtutem Davidis. Posterior præmium cum præmio; ut ita se habeat præmium Saulis ad præmium Davidis, sicut

*virtus & factum illius, ad virtutem & facta hujus. Comp-  
rationem proinde sic instituimus. David cecidit decem  
millia: Saul mille: Juncta conficiunt undecim millia;  
In partes ergo undecim divido & præmium; emergetque  
pars quævis  $90\frac{1}{10}$  tantum tribuetur Sauli: Decies verò plus  
Davidi, hoc est,  $909\frac{1}{11}$ .*

**§. 7.** Non autem tantum ad actiones virtutis, sed  
interdum quoque ad alias personarum qualitates respici-  
endum est. E.g. Si pecunia publica sit distribuenda, plus  
pauperibus est tribuendum, si honores sint conferendi &  
dignitates, magis sunt honorandi illi, quos *Aristoteles χα-  
ρεύτας* vocat. Contrà si onera & contributiones sunt dis-  
tribuendæ, plus divitibus est imponendum quàm paupe-  
ribus, quia illi his maiores habent possessiones. Quæ de  
præmiis diximus, facile possunt & ad pœnas accommodari.

**§. 8.** Extremum Injustitia distributiva est, quâ im-  
merentes pœnis, contrà præmiis indignissimi afficiuntur.  
Et vocatur Injustitia distributiva vel, quæ neque dignis  
præmia, neque sotibus pœnas distribuit.

**§. 9.** Longè se habet aliter *Justitia commutativa*,  
*quæ est virtus servans mediocritatem in contractibus, com-  
mutationibus, & obligationibus secundum proportionem A-  
rithmeticam.* Græcè dicitur *συναλλαγτική*, quia ἐν συναλ-  
λάγμασι i.e. Contractibus occupata est. Dicitur inter-  
dum & correctiva, quia rerum commutationem ita corri-  
git, ut neutri parti injuria inferatur.

**§. 10.** Definirio constat (1.) *Genere*, quod est *virtus*.  
(2) *Differentia*, quæ est quod servet mediocritatē secundūm  
proportionem *Arithmeticam*, quæ est, cum numeri ita  
progrediuntur ut æqualis inter omnes sit distantia i.e.  
quantum primus abest à secundo, tantum tertius distat à  
quarto &c. Talis proportio est in istis numeris 2. 4. 6. 8.  
sicuti enim inter 2. & 4. binarius intercedit, ita & inter 6.

& 8.

& 8. Et quod hæc proportio sit in Justitiâ Commutativa adhibenda, probamus (a.) ab æqualitatis consideratione. Æqualitas, in quâ omnis Justitia consistit, vel ex dignitate personarum æstimatur, vel simpliciter ex rebus ipsis. Prius commutationibus primò ac per se competere non potest, sicut anteà probatum est. Ergò relinquitur altera æqualitas quam ex rebus ipsis sumimus. Hoc enim æquale est, quod simpliciter interjacet inter plus & minus, sive cum res in duas æquales partes dividitur, ita ut æqualis sit distantia à lucro & damno. (β.) ex permutationis origine: Qui enim primitus permutationes instituebant, res cum rebus permutabant, & æqualitatem in omnibus rebus observabant. (γ.) ex Arithmeticæ proportionis definitione. Nam in hâc definitione paria & æqualia sunt intervalla terminorum, ita ut termini à se mutuo sint æquè distantes & nullus alterum superet.

§. II. Unde etiam Justitia Commutativa & distributiva tribus distingvuntur modis. (1.) *Actionibus*. Justitia Commutativa justè & rectè res committat, ita ut commutatione factâ, utraque pars æqualem habeat proportionem. Distributiva verò bona vel mala, pro diversâ personarum dignitate distribuit. (2.) *Objectis*. Illa versatur circa res inter privatos vel quasi privatos commutandas, hæc verò circa bona & mala publicè inter plures distribuenda. (3.) *Proportionibus*. Illa Arithmeticam, hæc Geometricam observat, *Magir. I. 5. Ethic. c. 2.*

§. 12. Extremum hujus Justitiæ est Injustitia commutativa, seu defraudatio illa in contractibus, quâ quis sibi plus quam par est, acquirens, alteri tantundem detrahit; unde in eâdem actione excessus pariter & defectus conjunguntur. Et hæc de Justitiâ dicta in præsentiarum sufficiant.

SUPER-

## SUPERPONDIA.

Non omnis qui justa vel injusta agit, est justus vel  
injustus.

Non semper justum est suum cuiq; tribuere.

Vim vi repellere licet.

Volenti non fit injuria.

Non licitum & justum est, seipsum interficere.

De Cyro puero refert Xenophon , quod interludendum, quum adolescens procerioris statuta longiorem tunicam detraxisset adolescenti breviori, eiq; tunicam breviorem tradidisset, judicaverit, permutationem esse justam; quæritur an recte? N.

---

Quanti Justitiam facias, HEINÆE Magister,

Scite conscriptis bisce probas thesibus.

M. Johan. Preibisius, Fac. Pbil. Asses. Collegij

B.M.V. Senior & Reipl. Lips. Senator.

---

Ad Politiss. Dn, Præsidem.

Justitiam voluit fieri, mundumq; perire  
Cesar, & hoc dictum Tute met ipse probas.

Obsecro, Justitia est cui tam perspecta facultas,  
Culpâ hujus mundum posse perire putas?

Quin magis bâc salvâ consistere fœderamundi,  
Sublatâ in nihilum corruitura putem.

Veratamen censes: Aliâ nisi lege manere  
Jura, nisi mundo depereunte, queunt:

Nos quoq; Justitiam fieri mundumq; perire  
Pofcemus voto Cœsar is atq; Tuo.

M. Jac. Thomasius Moral.

Philos. P. P.

F I N I S.

Coll. diss. A. 49, misc. 30